



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XX. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

B. Eustochium V. dum à Parentibus ad nuptias urgeretur, virginitatis amore faciem jejuniis & mortificationibus deformavit, ut vel sic sponso displiceret; cujus amoribus explicita, cœlestem quæsitura, Ordinem S. Claræ ingressa est. Præter quotidianam sui diverberationem cilicio è suilla spinis armata usa, in persecutionibus, quas innocens patiebatur, à Deipara visitari, & solatium accipere promeruit. *Ulyssip. 3. part. histor ser.* Ubi absunt terrestria, ibi præstò sunt cœlestia solatia.

O Virgo Beata! mihi apud afflictorum consolatricem opem implora, ut ubi mortis dolores, criminum commissorum reatus, & postremi Dæmonis assultus agonizantem me presserint, ab illa solatium liceat expectare. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Si quid verbi, vel operis adversi mihi hodie occurrerit, Deiparæ memoriâ me in patienti silentio confirmabo, ab illa solatium & levamen præstolaturus.

Quomodo nobis erit vita vitalis, si MARIAM non habemus, cum qua versemur. S. *Damasc. ser. de dor. V.*

Quæstio: Utrum B. V. nos in terra degentes corporeis è cœlo oculis aspiciat? *v. Vegam in Theol. Mar. pal. 35.*